habitans e deserto Omnia que tibi conferuntur Non ne putes te deo
te deo aliquid conferre quia bene ad deum vel mancipium Ergo non
habebit servos si tu nolueris et omnes noluerint Deus non
indiget servis sed servi deo Ideo dicitur in psalmo Dixi domino deus meus
es tu Ipse est verus deus dominus et quid ait Quoniam bonorum meorum
non eges Tu eges bono servi tui eget servus bono tuo et
eget servus bono tuo ut pascas illum eges et tu bono servi
tui ut adiuvet te Non tibi potes aquam implere non
potes coquere non potes ante equum currere iumentum tuum non procurare
curare Vides quia indiges bono servi tui Obsequio illius indiges
Non es ergo verus dominus qui indiges inferiore Ille est verus dominus
qui nichil a nobis requirit et ve nobis si eum non quesierimus Nichil
a nobis quesivit et quesivit nos cum eum non quereremus Ovis una
erraverat invenit eam gaudens in humeris suis reportavit
Et nunquid ovis erat pastori necessaria et non magis pastor ovi necessarius
erat Quanto libencius de caritate loquor tanto minus volo finiri
epistolam istam Nulla est ardencior ad commendandam caritatem Nichil
vobis dulcius predicatur nichil salubrius bibitur sed si bene vivendo
confirmetis in vobis munus dei Ne sitis ingrati tante gracie
illius qui cum haberet unicum noluit illum esse unum sed ut fratres haberet
adoptavit illi qui cum illo possiderent vitam eternam Explicit
sermo octavus Incipit nonus ab eo quod dicit In hoc perfecta est
dilectio dei in nobis ut fiduciam habeamus in die iudicii quia
sicut ille est et nos sumus in hoc mundo usque ad id quod dicit
et hoc mandatum habemus ab ipso ut qui diligit deum diligat
et fratrem suum etc.

Meminit caritas vestra ex epistola sancti Johannis apostoli ultimam partem
restitisse nobis tractandam exponendamque vobis quantum dominus
donat Meminimus ergo debiti nos meministis vos exactores aut
nos meministis esse debitores Eadem quippe caritas que in ipsa
epistola maxime et prope sola commendatur et nos facit fidelissimos
debitores et vos dulcissimos exactores Ideo dixi dulcissimos
exactores quia ubi caritas non est amarus exactor est Ubi
autem caritas et qui exigit dulcis est et a quo exigitur
Et si aliquid laboris suscipit facit eundem laborem ipse nullum
et levem ipsa caritas Nonne videmus in animantibus
et irrationabilibus ubi non spiritualis caritas et carnalis

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_386/0453
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991